

utpote quod in Epistola ad Colossenses de Onesimo, quem Phi-  
 lemoni Paulus commendat, diserte dicatur: *ὅς ἐστιν ἐξ ὑμῶν*,  
*qui est ex vobis*, Coloss. IV, 9. ut ostendat, esse illum e familia  
 concivis eorum, Philemonis. Quid clarius esse potest? Servi  
 enim cum sint de heri familia, non alia est illorum, quam Heri  
 civitas. Quod vero *Benedictus Justinianus* in Commentario hu-  
 jus loci, quem avide arripit sequiturque *Hugo Grotius*, voce:  
*ἐξ ὑμῶν*, *ex vobis*, in genere tantum Provinciam, e qua ortus  
 esset Onesimus, Phrygiam nimirum, indigitatam esse dispu-  
 rat, id admodum frigidum est, neque tanto interprete di-  
 gnum, cum, fatente *Justiniano*, jam olim *Chrysostomus*, & post  
 eundem alii interpretes communiter, adverterint, ideo ad-  
 ditum ab Apostolo Civitatis encomium esse, ut haberent Co-  
 lossenses, unde de indigena, ad Christianismum converso, glo-  
 riarentur, tantum abest, ut ob servi conditionem, pudore suf-  
 fundi deberent. *Ut gloriarentur*, ait Theophylactus, *quod ta-*  
*men protulerint*. Ut taceamus, ipsam loquendi rationem: *Qui*  
*ex vobis est*, quamprimum auditur, specialem loci, unde ortus  
 quis est, designationem insinuare. Comparent præterea in E-  
 pist. ad Coloss. omnes illæ Personæ, quæ & in Epistola ad Phi-  
 lemonem conspiciuntur, utpote archippus, quem Paulus in in-  
 scriptione conjungit cum Philemone, & Epaphras, addito utro-  
 bique elogio, & Aristarchus & Lucas & Demas. Ut adeo re-  
 cte vereque concludat *Hieronymus*: *Si Philemon, ad quem hæc*  
*Epistola scribitur, Onesimi Dominus est, imo frater esse capit in*  
*Domino, & ad Colossenses refertur, quod Onesimus ex eis sit,*  
*ratio nos ipsa & ordo deducit, quod & Philemon Colossensis sit*  
*& eo tempore communem ad omnem Ecclesiam Onesimus Episto-*  
*lam tulerit*. Ex quo apparet, merum singularitatis studium  
 esse, cum *Grotius* Ephesium facit Philemonem, solo hoc ar-  
 gumento motus, quod Onesimus ab *Ignatio* inter Episcopos  
 Ephesinos celebretur, de quo deinceps dicemus. *Justinianus*  
 etiam dubitanter: *aut colossensis*, inquit, *aut Laodicensis ci-*  
*vis erat*. Cum tamen pro Laodicea ne vestigium quidem ali-  
 cujus indicii possit proferri. Et quid dicemus? Fidemne ab-  
 judicabi-